[1660?]

Ampliſſimo Senatui Academico, nec non Reverendis Inſpectoribus, & Delegatis ab Illuſtriſſimo Cancellario Univerſitatis *Oxonienſis*

Humillimè ſupplicat

Ludovicus Molinæus.

CUm decreto, tum Cameræ Dynaſtarum in Parlamento conſidentium Anno 1646. *tum Conventûs Delegatorum ex utraque Camera Anno* 1648. *Menſe* Octobri, *mihi attributa eſſet profeſſio* Cambdeniana *Hiſtorica, quanquam per id avellerer* Londino, *& à Praxi Medica, unde familiam lautè alebam, nihilominus amplexus ſum eam provinciam mihi oblatam in ſpem & fiduciam quæ mihi fiebat auctarii ex praxi Medica: Sed cùm ea ſpes me fefelliſſet, coactus ſum rebus ſatis arctis familiam numeroſam ex ſtipendio Academico ſuſtentare.*

Cùmque jam magna, aut converſio, aut vorſura impendeat capitibus plurium de Illuſtri Academia ex occaſione reverendi conventûs Inſpectorum in eum finem delegatorum ut Academia luſtretur,

Rogat humillimè & obnixè per miſerationes Chriſti, cum Ampliſſimum Senatum Academicum, tum reverendum cœtum Inſpectorum ut dignêtur ejus rationem habere, reputando apud ſe me ſandapilarem ſenem, exuccum, ægrum, in vitæ & mortis confinio conſiſtentem, & planè cujuſquàm opis indigum extra hoc emolumentum Academicum, nec me cum cujuſquam injuria provinciam ſuſtinere hanc: nec ullius culpæ conſcium per quam, vel de potentiſſimo Rege, vel de illuſtri Academia male meritus ſum: Accedit quod ſi quid deliquerim, non ulterius mihi ſit imputandum, impetratâ venîâ à pientiſſimo Rege omnibus qui intra 40. *dies ad Aram Clementiæ ejus confugerint. Saltem extra omne periculum ſim ut inauditus & indefenſus peream apud cordatos & amantiſſimos æqui, quales proculdubiò experturus ſum Judices. Denique tantum abeſt ut nomen* Exteri *me deterreat, ut potius apud Gentem, ſi qua eſt, Hoſpitalem, Chriſtianam & reformatam in ſpem erigat fore ut bono eventui litet mea poſtulatio; eóque magis quod ſim filius* Petri Molinæi, *qui penè* 40. *annos in exilio vixit, & jacturam rerum ſuarum paſſus eſt ob navatam operam Eccleſiæ* Anglicanæ: *Tum quod ſolus ſim in* Anglia *Exterus qui Academicam* Spartam *nactus ſit. Saltem ergo unum, licet indignum, patimini.*

LUDOVICUM MOLINÆUM.